

24.
DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA
INAUGVRALIS

DE
LIGNO NEPHRITICO, COLV-
BRINO ET SEMINE SAN-
TONICO

QVAM
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER
MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.

FACVLT. MED. H. T. DECANO
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME IMPETRANDIS

DIE XXXI. IVLII MDCCLXIX.

H. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET
SALOMON BEER WOLFF,
FVRTHO-NORINBERGENSIS.



FRANCOVRTI AD VIADRVM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,
ACADEM. REG. TYPOGR.

24

DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA
DE

LIGNO-CHEMISTICO COLY
BUNG ET SEMINE SAN
TUNICO

JOHANNES FRIDERICUS CARSTENSYER

PHYSICUS

STAMBOVIENSIS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS





DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA
INAVGVRALIS.
DE
LIGNO NEPHRITICO, COLVBRINO, ET
SEMINE SANTONICO.



§. I.



Si quicquam in arte medica frequenti muta-
tioni obnoxium est, hominum certe circa
pharmaca, eorundemque imprimis virtu-
tem, opiniones sunt. Primis scientiae sa-
lutaris temporibus, ut nonnihil tantum ge-
neraliora attingam, pauca, eaque vulgaria, indigena, vilia,
simplicia, ex unico propemodum vegetantium regno de-
sumta;

sumta, ac facili negotio in decocta, infusa, pulveres, syrupos, electuaria atque simplices mixturas redacta, maxime placebant medicis, deinde memorata quodammodo vilescere coeperunt, et in locum eorum, praesertim, cum artis spagyricae cultura cresceret, praeter exotica, rara, pretiosa, sensim concentrata pariter, ac multo labore parata chymica, quibus non animale ac vegetabile duntaxat regnum, sed minerale quoque primam largiebatur materiem, maximo numero surrogata fuerunt. Verum et horum aestimatio, ferme universalis, solummodo temporaria fuit, et nostra aetate multi, non infimi gradus, medici ad pristina tempora, pristinaeque consuetudinem denuo redire videntur, dum, spretis formulis atque compositionibus diffusioribus, quae saepe sexcenta recipiunt, spretis quoque ingredientibus speciosis, inertibus nihilominus, vel dubiis etiam aut violentis, concisas iterum formulas amant, et multis magni nominis compositis simplicia selectiora praefereunt, eademque, ut principia activa, verus genius, verae virtutes, caeteraque magis magisque manifesta reddantur, vario modo examinant, aliisque examinanda commendant. Adprobo hanc sententiam, conamina atque consilium laudo, et hac via omnino procedendum esse arbitror: Ne solis tamen verbis laudabilem eorum operam adjuvare videar, hac vice quaedam pariter examina chemica, cum tribus simplicibus instituta, breviter communicabo.

§. II.

Exordiar cum scrutinio LIGNI NEPHRITICI, quod, in majoribus frustis consideratum, ex duplici substantia consistere deprehenditur: Altera videlicet, eaque exterior, colore pallide flavescente, altera vero, interior nempe ac medullaris, subfusco, nunc ad obscure rubellum, nunc ad nigricantem aut gryseum nonnihil vergente, pollet. Odor substantiae utriusque, si cultro raditur, debilis balsamicus est, sapor autem amaricans, subacris, et paullulum aroma-

aromaticus. Quando aqua simplici infunditur, colorem ipsi coerulefcentem, in superficie maxime conspicuum, conciliat; hinc a nonnullis quoque, tamenfi fati incongrue, *Lignum Santalum coeruleum* vocatur. Multi laudato experimento, ad lignum genuinum a *spurio Brasiliensi* discernendum, utuntur: Ast monendum duco, colorem memoratum, licet lignum genuinum fit, ac fati diu in aqua relictum, interdum adeo debilem esse, pallidumque, ut vix, aut ne vix, nisi radii folares vitrum quodammodo collustrent, conspici queat.

§. III.

Arbores, quæ lignum nephriticum verum largiuntur, in *Nova Hispania*, maxime autem in *Regno Mexicano*, pyri vel pruni magnitudine, crescunt, et a Botanicis plerisque inter *Cytisi* species numerantur. Folia, alatim disposita, ciceris aut rutæ foliis haud dissimilia dicuntur, et flavi flores papilionacei tandem, uti PAVLVS HERMANNVS refert (*a*), in siliquis retiformes, femina includentes, mutantur. Ab incolis *Cytisus* hic *Americanus Coalti*, vel *Coarathi* adpellatur.

§. IV.

Circa principia constitutiva, præsertim activa, apud scriptores quamplurimos altum silentium est, vel falsa omnino, ac parum demonstrata adducuntur. LEMERY v. g. multum *olei*, multumque *salis essentialis* huic ligno, pro more suo, tribuit (*b*), et vix allegatus HERMANNVS de *blando sale alcalico* loquitur. Sed, ubinam memorata hæreant, nondum hætenus detegere potui. HERMANNVS quidem sententiam suam coeruleo infusi aquosi colore, quem acida extinguunt, alcalia reducunt, corroborare annisus est; at parum vel nihil argumentum istud hoc loco probare

A 3

(a) In *Cynofura* Mat. Med. p. 112.

(b) In *aufrichtigen Materialisten* p. 640.

bare, arbitror. Acida enim et alcalia colores corporum, si-
 ve sal acidum, siue alcalicum, siue neutrum in mixtione sua
 gerant reconditum, facillime mutant, et facile pariter alca-
 lia colores, ab acidis destructos, reducant, et vice versa,
 adeoque solida, me sentiente, conclusio ad hujus vel illius
 salis inhaesionem inde formari nequit. Allegatum HER-
 MANNI argumentum ejusdem pene valoris esse videtur, ac
 si dicerem: Salia acida sanguinem et lac animantium coagu-
 lant, alcalia fixa autem utrique fluiditatem reddunt, ergo in
 lactis et sanguinis mixtione naturali sal alcali fixum delite-
 scit. Non dico caeteroquin, acidorum et alcalium misce-
 lam principiis detegendis ineptam esse, sed hoc loco dun-
 taxat nego, experimentum laudatum, ob sinistram applica-
 tionem, ad confirmandam HERMANNI hypothesin quic-
 quam conferre.

§. V.

Plura hujus commatis addere possem recensitis: Ve-
 rum, cum nihil inde utilitatis ad tractationem nostram re-
 dundare videatur, praetermissis reliquis, ad describenda po-
 tius, quae ipse suscepi, examina chemica progredi consul-
 tum duco. Fuerunt autem sequentia: Primo nempe dimi-
 diam hujus ligni unciam, in minora prius segmenta redacti,
 temporariae digestionis cum aqua simplici subjeci, et hujus
 ope infusum obtinui, quod, corticis castanearum instar, co-
 lore obscure fusco, sapore amaro, ac paululum aromatico,
 et odore denique, mixti piperis et croci odorem quodam-
 modo aemulante, donatum erat. Post blandam ejus eva-
 porationem extractum, brunnei pariter coloris, ad nigrum
 paulisper vergentis, odoris nonnihil balsamici, et saporis
 amari atque subadstringentis, relinquebatur, quod binos
 circiter scrupulos pendebat.

§. VI.

Absoluto primo hoc examine, rursus aequalem ligni
 raspati quantitatem primum cum rectificatissimo vini spiritu
 extra-



extractiōni subjeci. Infusum coloris erat rubro-nigricantis, odoris, instar radicis levistici, balsamici quidem, ast longe debilioris, ac paullulum insuper nauseosi, saporis amaricantis, subacris, et blande balsamici. Extractum, inde evaporando paratum, et nigro colore tinctum, debilissimum spirabat odorem balsamicum, et debilem pariter saporem amarum, balsamico et subadstringente remixtum, linguæ imprimebat. Valde præterea, picis propemodum aut ceræ flavæ instar, tenax erat, et unam circiter atque dimidiam drachmam pondere æquabat. Residuum siccatum, secunda vice cum aqua simplici digestum, tincturam quidem fusco-flavescentem dedit, inspidam tamen, inodoram, et nullius amplius virtutis. Ejusdem quoque conditionis massa inspissata erat, licet gravitate sua ultra drachmam semissem adhuc adscenderet.

§. VII.

Visurus denique, an oleum essentielle æthereum huic ligno inhæreret, binas ligni raspati uncias, prævia sufficienti maceratione, humidæ destillationi in cucurbita vitrea humiliori subjeci; at, præter aquam balsamici odoris, nihil proditit, nullaque translati olei vestigia aderant. Ex balsamico nihilominus odore suspicari licet, aliquam, quanquam valde exiguam, olei essentialis quantitatem in hoc ligno latitare, et conspicuam portionem, quæ separari ac colligi posset, fortassis prodituram esse, si quis, ligni pretium non adeo curans, aliquot libras una vice destillationi submittere vellet. Suspicio tamen solummodo memorata, verè autem adfirmare, ferioque defendere, nequaquam audeo.

§. VIII.

Sufficienter, uti ego quidem opinor, recensita experimenta nos docent, 1) lignum nephriticum largiori *substantia resinosa*, quam *gummosa* instructum esse, 2) *olei essentialis ætherei*, vel nihil profus, vel valde parum continere, 3) *virtutem*.

tutem medicam utrique quidem substantiæ fixæ, magis tamen gummosæ, quam largiori resinosa, adscribendam esse, et 4) aquosum itaque infusum primum (secundum enim plane iners deprehenditur), infuso spirituofo primo nisi præferendum, tamen perfecte æquiparandum esse.

§. IX.

Ob principia amara, subacria, et austeriuscula, lignum hoc, partim abstergendo ac leniter irritando, partim subadstringendo, in corpore operatur, et *aperitiuis* ideo, *laxantibus*, *diureticis stricte ita dictis* (a), et *specificis lithontripticis* (b) omnino accenferi meretur. Virtus stimulans et blanda cathartica magis in parte resinosa, subadstringens autem et diuretica magis in parte gummosa latet: Ita tamen bina hæc principia invicem mixta reperiuntur, ut alterum ab altero vix profus separari, et perfecte purum haberi possit.

§. X.

- (a) Medicamenta, quæ liberiolem largioremque lotii se- et excretionem procurant, recte in diuretica *proprie talia*, et *improprie talia* dividuntur. Hæc enim solummodo se- et excretionis obstacula tollunt, ut emollientia, demulcentia etc., vel seri discernendicopiam substantialiter augment, ut diluentia; illa autem, stricte nimirum ac proprie ita nuncupata, leniter irritando et subadstringendo fibras ac tubulos renum atque vesicæ, se- et excretionem simpliciter accelerant ac promovent. Et inde igitur ratio, cur lignum nephriticum diureticis proprie sic dictis adnumeraverim, manifesta est.
- (b) Lithontriptica *vere talia*, h. e., virtute, calculum jam concretum, ac plus minusve induratum, denuo dissolvendi, instructa, existere, parum probabile videtur: Sed, pro meo iudicio, illa duntaxat medicamina sub lithontripticorum nomine intelligenda erunt, quæ calculi concretionem impediunt, et materiam pituitoso-sabulosam, grandioribus calculis prima stamina foenerantem, resolvunt, diluunt, abstergunt, et expellunt. Non deesse quidem scriptores scio, vim quandam lithontripticam, proprie ita dictam, in medicamentis nonnullis serio defendentes; verum, cum solidis rationibus destituti, ad solam plerumque experientiam, quæ tamen in hoc passu fallacissima est, provocare soleant, nunquam ad sententiæ mutationem me deducunt.

Ex indicato operandi modo, viribusque generalioribus, quæ in principiis fixis suum inveniunt fundamentum, variæ iterum virtutes speciales, quas ipsa experientia dudum comprobavit, fluunt, et commode hoc medicamentum simplex, nec sine fructu insigni, contra hydropem ascitem, suppressionem urinæ, nephritidem pituitoso-sabulosam, et calculum adhiberi, immo usus ejus internus ad referandas quoque aliorum viscerum obstructions, scorbutum curandum, et vermes intestinorum expellendos extendi potest. Vulgo in infuso aquoso aut vinoso præscribitur, prius tamen solummodo urinam pellit, posterius vero, teneriori substantia resinosa simul imprægnatum, præter diuresin, blandam pariter catharsin excitat. Dosis pro subjectorum ac scopi diversitate quidem variat, ordinario tamen apud adultos a drachma una ad unciam semissem ascendit.

§. XI.

Alterum lignum, quod hac vice, post instituta examina chemica, breviter pertractandum elegi, COLVBRINUM, Schlangenholtz, dicitur. Adfertur ex *India orientali*, arboresque, quarum nunc crassa radix lignosa, nunc ipsius trunci lignum est, in *Malabaria*, *Insulis Timor*, *Ceylon* etc., in primis crescunt, et, testibus scriptoribus variis, notissimas nuces vomicas ferunt. Detracto cortice ferrugineo, solidum ac ponderosum hoc lignum subflavo colore, albidis hinc inde striis distincto, donatum reperitur, et licet quidem, in integro frusto naribus admotum, nullo singulari odore polleat, debilem tamen balsamicum, si raditur, emittit, et valde amarum

- (a) Agyrtas lignum hoc etiam contra cujuscunque generis venena commendare et adhibere, sæpius allegatus HERMANNVS l. c. refert. Verum enim vero, nihil prorsus, uti ratio et experientia testantur, ad infringenda venena mineralia valet, nec promiscue etiam in venenis, animalis ac vegetabilis profapia, in usum trahi potest.

rum præterea saporem, post aliquam manducationem, linguæ imprimit.

§. XII.

Rasura hujus ligni, blandæ digestioni cum aqua simplici aliquamdiu subiecta, infusum largitur, colore saturate aureo tinctum, quod gratum odorem balsamicum spirat, odori ligni Rhodii analogum, et valde amarum ac simul blande balsamicum saporem possidet. Extractum, post decentem evaporationem relistum, colore subfusco, debili odore balsamico, amarissimoque sapore gaudet, et, dimidia nempe ligni uncia experimento adhibita, binos circiter scrupulos pendet.

§. XIII.

Quando æqualis rasuræ recentis portio primum cum spiritu vini rectificatissimo infunditur, post temporariam digestionem in arca calida, tinctura nascitur, coloris aurei, odoris nullius singularis, saporis valde amari atque subacris. Extractum inspissatum integram fere drachmam pendet, et colorem fordide fuscum, odorem balsamicum, et valde amarum saporem obrinet. Si caput mortuum, post primam hanc extractionem superstes, denuo cum aqua digeritur, menstruum notabili adhuc amaritie, aureoque colore imbuit, et, evaporatione suscepta, drachmam dimidiam extracti amari atque subacris relinquit.

§. XIV.

Praeter *tenerrimum principium halituosum balsamicum, et fixam substantiam gummeo-resinosam*, nullum prorsus vel saltem paucissimum, *oleum essenziale æthereum* adesse videtur, æque ac in ligno præcedente, quoniam sub destillatione humida ex duabus ligni raspati ac macerati unciis ne guttula quoque olei prodiit, sed mera saltem aqua, debili odore balsamico imbuta, in receptaculo collecta fuit. Vero cæteroquin simillimum est, in ligno recenti principium halituo-
fum

sum non tantum largiori inhærere copia, sed etiam valde acre existere. Nam anno primo, uti scriptores plerique testantur, venenatam quasi indolem obtinet, et facile, ob acridinem eminentem, vomitum, tormina ventris, convulsiones, maniam, aliaque prava pathemata excitare consuevit, ita ut multi etiam lignum hoc, ob memoratam operationem nocivam, e medicaminum censu prorsus ejiciendum esse, existiment.

§. XV.

Quod me attinet, usum hujus ligni, vetustioris tamen ac satis exsiccati, plane damnare nequeo, si provide ac dofi minori, drachmam dimidiam non facile superante, vel per se, vel additis aliis adpropriatis, in infuso aquoso aut vino, quod perinde est, exhibeatur; justo largiorem vero atque frequentiore ejus adhibitionem omnino reprobendam duco, quoniam, experientia teste, lignum quoque vetustum, diutius usurpatum, tremorem membrorum, atque stuporem, imo amentiam, produxit. Virtutes medicæ, quæ in fixo principio præcipue latent, ad actionem *roborantem, stimulantem, abstergentem, diureticam, diaphoreticam, anthelminticam, antifebrilem, laxantem, quin leniorem emeticam*, redeunt, et inde etiam specificæ ejus vires, quas in refractariis febribus intermittentibus, præsertim quartanis, copiosa vermium intestinalium progenie, cachexia vulgari et icteritia, atque hydrope humido incipiente exerere dicitur, facile cognosci et explicari possunt. (a).

B 2

§. XVI.

(a) Medicum novi doctum, et in praxi medica satis versatum, qui, lignum colubrinum vetustum, probe exsiccatum, et, subdito igne lenissimo, in lamina ferrea nonnihil quasi tostum, Lapidu Malaccensi, vulgo Pedra del Porco dicto, intuitu virium valde analogum esse, defendere sustinet. Lapis hic in Malacca, notissima India orientalis regione, ex cyllide fellea hystricum, in qua subinde e rudioribus bilis particulis concrefcit, eximitur, ibidemque tantu æstimatur, ut incolæ ditiores illum, sphaeris aureis vel argenteis munitum, continuo, uti KAEMPFERVS in *Amoenis*.

exor.

§. XVI.

Nonnulli singularem quoque virtutem *bezoardicam* huic ligno tribuunt, et in India contra virulentos inprimis serpentum seu colubrorum ictus, unde etiam nomen accepisse videtur, validum incolis remedium foenerari, immo, solo odore suo, qui, uti supra dictum, in ligno recentiori longe fortior, serpentes fugare, referunt. Prius facile concedere possum, an posterius autem ita se re vera habeat, experientia destitutus, confirmare nequeo.

§. XVII.

Binis lignis, hætenus chymice ac medice consideratis, usitatissimum SEMEN CINÆ subungere, ac simili modo contemplari placet. Varia hoc ipsum, quod statim indicandum duco, nomina gerit, ac modo *Semen Zinæ, Sinæ, Chinæ,* modo *Semen Sanctum, Santonicum, Semen Zedoariæ, Semen lumbricorum vulgare, Semen contra vermes, Sementina* et sic

cor. p. 393. refert, secum gestent, rariusque peregrinis vendere permittant. Plerumque figuram obtinet plus minusve orbicularem, et nucem myristicam aut juglandem magnitudine æquat. Sapor ejus amaricans est, color dilute rufescens, vel ex viridi purpurascens, et ipsa substantia quodammodo unguinosa. Summa virtute alexiteria, antifebrili, et anthelmintica donatus esse, mirosque prorsum effectus in rebellibus febribus intermittentibus tertianis et quartanis, itemque continuis malignis, variolis, morbillis, adfectibus frigidis arthritico-rheumaticis, epilepsia inveterata, &c. nonnunquam edere creditur, si paucillum nempe, temporariz digestionis aut brevis saltem agitationis ope, in aqua solvatur, ut menstruum, postea hauriendum, moderatam amaritiam adquirat. Nolo quidem naturam atque virtutes, concreto huic terreo-biliofo adscriptas, uberius hoc loco investigare, fateri nihilominus cogor, me sententiæ, quæ medicus memoratus fovet, nequaquam subscribere: Tantam enim similitudinem, quantam ille adesse credit, apud lapidem hunc et lignum colubrinum invenire non potui, sed satis notabilem omnino differentiam concretum utrumque, tam indolis, quam virium ratione intercedere, compertum habeo.

fic porro vocatur. Nolo hac vice recensendis, pensitandis, eruendis memoratarum denominationum originibus, quæ medico, de natura ac viribus præcipue cognoscendis sollicito, parum ferre videntur utilitatis, et ex parte quoque factis incertæ sunt, tempus impendere, sed protinus ad describendas proprietates externas, sensibus manifestas, progrediar. Sunt autem semina Cinæ corpuscula seu granula, parva, oblonga, ex squamosis quasi funiculis, uti HERMANNVS loquitur (a), compacta, colore ex viridi flavescente, odore balsamico, nonihil tamen ingrato, sapore subacri, amaro, et pariter balsamico prædita.

§. XVIII.

Rarissime, vel nunquam, hæc semina perfecte pura ad nos deferuntur, sed aridis foliolis, paleis, arenulis, aliisque quisquiliis, quin diuersarum prorsus plantarum seminibus, plerumque remixta venduntur; quod puritatis vitium subinde quidem mercatorum fraudibus, frequentius tamen singulari colligendi modo, a TAVERNIERO descripto (b), tribuendum erit. Plantæ enim, quæ hæc semina largiuntur, in pratis crescunt, et, cum horum thecæ, et vicina foliola, superveniente maturitate, cito exarescant, adeoque prioribus semina facile excidere permittant, incolæ binarum sportellarum ope excutere illa coguntur; hinc aliter fieri nequit, quin arida foliola, frustula capsularum feminalium, aliaque heterogenea, sub percussione dejecta, sportellarum altera, qua semina excussa præcipue excipere solent, simul colligant.

§. XIX.

Circa plantæ memoratæ determinationem, quod nostro ævo, quo frequentes pridem peregrinationes in quoscun-

B. 3.

(a) In Cynof. Mat. Med. p. 151.

(b) In semen Reijen P. II. libr. 3. cap. 15.

cunq̄ue terræ angulos institutæ fuerunt, utiq̄ue mirandum est, auctores valde dissentiunt. Præter DIOSCORIDEM enim, aliosq̄ue, tum prisca, tum recentioris ævi scriptores, CASPAR BAVHINVS hanc plantam *absinthii* speciebus adnumerandam esse, contendit, eamq̄ue ideo *Absinthium Santonicum Alexandrinum* adpellat. RAIVS, HERMANNVS, DALE, CLEYERVS, Dn. de IAGER, VALENTINI, et complures alii eandem inter *abrotani* species referunt, immo nonnulli, uti v. g. ETTMÜLLERVS, herbam Santonicam modernam *tanaceti* speciem esse opinantur. Similis dissensio etiam circa patriam occurrit: Vix laudatus enim TAVERNIERVS, POMETVS, LEMERY, VALENTINI, etc. herbam santonicam in *Persia*, præfertim *Caramania*, et prope *Russiæ* limites, nec minus in regno Tartarico *Boutan* crescere testantur. ZORNIVS, VIELHEYERVS, aliique quasdam *Sinæ* provincias patriam illi assignant, et SCHRÖDERVS denique et ELSHOLZIVS, quorum relatio tamen neotericorum experientiæ prorsus repugnat, in *Galliæ* provincia *Xantonge*, unde etiam hoc semen *Xantonicum* dictum putant, uberrimum ejus proventum esse, perhibent. Difficile igitur est, sub tanto auctorum dissensu, certi quidquam determinare; diffiteri tamen nequeo, sententiam eorum mihi videri reliquis probabiliorem, qui herbam Santonicam abrotani speciem esse, nec in una solum, sed pluribus regionibus orientalibus, maxime autem in *Persia*, et *Magnæ Tartariæ* regno *Thibet* sive *Bou-tan*, quod in *China* et *Indiæ* confiniis jacet, provenire tradunt. Nam, teste allegato DOMINO DE IAGER, qui diu in *India* vixit, et plantam santonicam sæpissime propriis lustravit oculis, hanc et abrotanum maxima, quoad formam externam, similitudo intercedit: „Ratio nempe, in epistola quadam, ad Dn. „GEORG. EVERHARD. RYMPHIVM missa, scribit, cur „sementinam abrotani minime vero absinthii speciem esse „credam, hujus plantæ forma externa nititur, quam plus „vice simplici vidi, et hoc pariter me impulisse fateor, ut

„VO-

„vocabulum Arabicum *Sjehh*, sive *Seheha*, uti posuit illud.
 „Rauwolffius, per *abrotanum* interpretari maluerim, quam
 „*absinthium Seriphium*, quoniam notabilis differentia, uti di-
 „ctum, circa formam observatur, et mihi in Persia præterea
 „et Golkonda relatum fuit, utramque absinthii speciem, in
 „pharmacopoliis venalem, non *Sehehh* aut *Seheha*, sed *Af-*
 „*sintien*, quod ultimum vocabulum a Græco ἀψίνθιον deri-
 „vatum est, adpellari. &c. (a)

§. XX.

Præmissis hisce, ad eruenda vera principia descendam,
 ut postea quoque vires medicæ eo melius investigari, cer-
 tiusque determinari possint. Valde nimirum hoc pariter lo-
 co Auctorum sententiæ reperiuntur diffformes. Sæpius v.
 g. allegatus HERMANNVS feminibus hisce *salia fixa* tri-
 buit, alcalicæ procul dubio indolis, quoniam vermium ni-
 dum, quem non solum putridum, sed etiam acidum iudicat,
 destruere testatur. NICOLAUS LEMERY (a) contra-
 riam ferme sententiam, vel admodum tamen diversam, fo-
 vet, et semina hæc *copioso oleo*, et *sale volatili essentiali* instru-
 cta esse, tradit. Verum enim vero, laudati scriptores, et re-
 liqui omnes, qui ipsis largiuntur assensum, a veritatis tra-
 mite plus minusve deflectunt, uti hoc spagyrica examina,
 quæ ipse cum feminibus hisce suscepi, satis superque con-
 firmant. Primo nempe quatuor uncias hujus feminis humi-
 dæ destillationi in cucurbita vitrea humiliori subjeci, at ni-
 hil prorsus olei essentialis inde prodiit, licet aqua prolecta
 forti odore balsamico imbuta esset. Non credibile quoque
 videtur, oleum æthereum e longe majori quantitate copio-
 se proditurum esse. WEDELIVS enim ex integra libra
 vix aliquot guttulas obtinuit, et B. NEVMANNVS pariter
 in aqua destillata levissimum duntaxat oleosi principii vesti-
 giumprehendere potuit (b): Unde luculentissime patet,
 oleum.

(a) Vid. Valentini Mus. Museor. in Append. Epist. III. p. 14.

(b) V. Prælect. chymico-pharmaceut. p. 780.



oleum illud, quod in Officinis quibusdam pro oleo Cinæ venditur, non verum atque essentiale ejus oleum æthericum esse, sed aliud plane, a Cinæ seminibus solummodo abstractum.

§. XXI.

Quum unam deinde ejusdem seminis unciam cum aqua simplici aliquamdiu in digestionem collocarem, infusum obtinui fusco-rubescens, sapore valde amaro, ac moderate simul balsamico, et odore satis forti, ipsius seminis odori simillimo, præditum, quod, evaporando ad justam consistentiam redactum, extractum præbuit, coloris fusci, ad nigrum nonnihil inclinantis, odoris debilis, saporis amari atque balsamici. Pendebat circiter drachmas tres et grana aliquot. Residuum siccatum, superfuso vini spiritu, adhuc scrupulum unum extracti resinosi reddidit. Alia uncia seminis, cum spiritu vini digestionem temporariæ primùm subiecta, tincturam suppeditavit flavo-brunneam, quæ magis vini spiritum, quam ipsa semina redolebat, et sapore balsamico præcedens infusum aquosum superabat, amaro autem inferior erat. Extractum inspissatum fusco-nigricans, cujus pondus ad drachmas duas et semissem adscendebat, odorem, paullulum quidem ingratum, fortiorem tamen, quam tinctura, spirabat, et sapore satis quoque amaro atque balsamico, propius præterea, quam in extracto aquoso, ad specificum seminis saporem accedente, donatum erat. Ex residuo, iteratæ infusionis ope cum aqua simplici, adhuc drachmam integram extracti aquosi sive gummosi impetravi. B. NEVMANNVS, uti in allegatis *Prælectionibus chymico-pharmaceuticis* (a) testatur, majorem extracti, tam aquosi, quam spirituosi primi, quantitatem obtinuit; cujus differentia ratio sine dubio diversæ adhibiti seminis puritati, maturitati ac bonitati adscribenda erit.

§. XXII.

(a) p. 780.

§. XXII.

Ex descriptis examinibus facile unumquemque perspecturum esse, arbitror, 1) quod Cinæ semina, licet exigua saltem olei ætherici substantialis portionem in naturali sua mixtione foveant, copioso tamen principio spirituoso balsamico, nec minus duplici substantia fixa, gummea nempe ac resinosa, quarum prior majori, posterior minori, quantitate inhæret, prædita sint. Patet quoque inde, 2) odorem balsamicum unice a tenerrimis particulis oleosofpirituosis, saporem amarum vero a fixis principiis, præsertim resinoso, derivandum esse; 3) principium volatile, uti hoc eminentior infusa aquosi odor confirmat, facilius aquæ, quam spiritus vini ope, a substantia fixiori separari; 4) vires medicas in triplici quidem principio latitare, præcipuas tamen substantiæ resinosæ, quæ fortiorem saporem linguæ imprimunt, et post spiritus vini separationem odore longe fragrantiori, quam extractum gummosum, pollet, tribuendas esse, et 5) denique aquam destillatam, et aquosa pariter hujus seminis infusa, virtute medica non penitus quidem destitui, vires nihilominus majores semina, in substantia exhibita, nec minus tincturam spirituosam, et infusa vinosa exercere.

§. XXIII.

A medicorum plerisque Cinæ feminibus solæ vires *anthelminticæ* adscribuntur, immo sunt, qui, præeunte THEODORO ZWINGERO (a), medicamentum hoc, absentibus vermibus, noxium magis, quam utile, futurum, et ipsos vermes, quod CHARAS inprimis credidit, procreaturum, existimant. Attamen priores virtutem hujus seminis cancellis justo arctioribus includunt, et posteriores senten-

(a) Vid. Theat. botan. Lib. III. cap. 103.

sententiam tuentur, rationi non minus, quam experientia valde contrariam: Hæc quippe docuit manifeste atque creberrime, Cinæ femina non folis anthelminticis, sed egregiis quoque viribus *roborantibus, discutientibus, et antiputridinosi* instructa esse: Nec ratio quoque, principiorum indole nixa, ullo modo refragatur, sed valde potius experientiam confirmat. Nam volatile principium balsamicum discutiendo æque, ac roborando operatur, et fixa principia resinoso-gummea, balsamico pariter ac valde amaro sapore donata, confortandi virtutem non solum valde augment, sed putridam etiam saburram, sive illa in prima culina, sive alibi stabuletur, destruant, et imminentem humorum corruptionem prohibent.

§. XXIV.

Ex virtutibus hisce generalioribus variæ demum virtutes specialiores deducendæ sunt, *stomachalis* nimirum, *carminativa, uterina, cephalica, nervina, et pectoralis*. Dum blande enim amara atque balsamica hæc femina ventriculi tunicas roborant, et viscidas atque corruptas cruditates, in eodem collectas, corrigunt, appetitum augment, et motum peristalticum, quo digerendi facultas præcipue nititur, vegetiorem reddunt; Et, quum flatuum proventus uberior ordinario mucidis impuritatibus, in canale intestinali copiosus hospitantibus, et inde continuè nascenti materiam rudi perspirabili, nec minus debili vi expultrici, sive debili contractioni, quæ tunicarum flacciditatem frequentem agnoscit causam, tribuendus sit, in clara pariter luce positum esse reor, cur femina hæc flatu discutiunt, ac novam, eamque largiorem, eorum genesis avertant. Pari propemodum ratione virtutes uterinæ, pectorales, nervinæ atque cephalicæ explicandæ erunt: Nihil quippe nervis, meningibus cerebri, aliisque partibus membranaceis magis amicum est, nihil quoque vividam earum oscillationem

nem melius excitat, restituit, auget, quam blanda balsamica, et modice amara, quæ absque impetu operationem suam exercent, nihil denique vegetum pulmonum motum efficacius conservat, et pituitæ molestum atque perniciosum decubitus impedit, quam laudatæ indolis medicamina: Immo, nullum pharmacorum genus uteri statum magis illibatam præstat, et fluxus menstrui inordinatum successum, aut plenariam suppressionem, quibus plerumque spasmi hysterici superveniunt, melius avertit, quam temperata ejusmodi discutientia ac roborantia.

§. XXV.

Antiputredinosæ et stomachali virtuti maximam partem superstruenda erit specifica virtus anthelmintica: Maxima, inquam, partem; incicias enim ire nequeo, eandem simul quoque a singulari sapore et odore, quo semina hæc ab aliis concretis balsamicis et amaris sese distinguunt, derivandam esse. Prompta videlicet vermium in canale intestinali exclusio, vegetum eorum incrementum, et stupenda nonnunquam multiplicatio plures habent causas, quarum præcipuæ tamen ventriculi debilitas, cruditatum viscidarum ac putridæ saburræ accumulatio, et bilis, ceu egregii vermium antidoti, inertia, æstimandæ sunt. Singulis hisce vitiis semen santonicum medetur: Veneni quippe instar vermes, qui odorem et saporem ejus perferre nequeunt, enecat, saburram viscidam ac putridam, quæ nidum et pabulum amicis hostilibus hisce incolis præbet, abstergit ac corrigit, bili inertis pristinam amaritiam naturalem reddit, et ventriculum rursus atque intestina adeo roborat, ut prior debite resolvendis esculentis, posteriora autem impuritatibus, post chyli præparationem relictis, promovendis, ac tempestive expellendis sufficiant. Præstat tamen, eidem semper laxantia, v. g. rhabarbarum, radicem mechoacanæ albæ, mercurium dulcem et similia addere, ut vermes occisi,

occisi, una cum saburra heterogenea et inimica, eo citius atque certius excludantur, nec priores forsan, quando, post mortem suam diutius retenti, in foetidum liquamen putredine resolvuntur, humores corrumpant, adeoque plus, quam antea, sanitati noceant. Necesse præterea est, ut huic pharmaco, si vermium causa exhibendum est, semper dulcia quædam misceantur, quo vermes eo melius ad degustandum antidotum alliciantur, nec, inimicum saporem et odorem confestim percipientes, ab esu plane abstineant, et aliquamdiu ex intestinis superioribus, quod subinde, neglecta hac cautela, factum fuisse, observationes testantur, ad inferiora descendant.

§. XXVI.

Substrata virium cognitione generali, explanata pariter specifica virtute anthelmintica, nunc ad lustrandum quoque usum specialissimum, quem Cinæ semina in hoc vel illo morbo speciali præstant, commode progredi, et singularem juvandi modum fufius recensere ac contemplari possem: Verum enim vero, cum temporis ac spatii destinati angustia tantam prolixitatem mihi hac vice interdicit, paucis tantummodo monuisse sufficiat, medicamentum hoc cum fructu adhiberi posse in adfectibus flatulentis atque spasmodicis, v. g. cardialgia, colica, passione hypochondriaca et hysterica, nec minus in ægritudinum speciebus singulis, quæ partium solidarum atoniæ et humorum spissitudini præcipuam debent originem, cuius census v. g. sunt apoplexia pituitosa, adfectus soporosi, paralyfis, debilitas memoriæ, vertigo, variæ otalgia, odontalgia ac cephalalgia species, epilepsia cacochymica idiopathica, nec minus stomachalis ac verminosa sympathica, ut et tussis pituitosa, asthma frigidum humorale, aliique pectoris morbi, palpitatio cordis, dysorexia, dyspepsia, diarrhoea, lienteria, coeliaca, dysenteria, vomitus, diabetes, fluor albus, gonorrhoea benigna, febres intermittentes, obstructio-

nes

nes viscerum chronicæ, cachexia vulgaris et isticia, et sic porro. Ita tamen dicta accipi nolo, ac si crederem, solum hoc semen profligandis morbis allegatis sufficere, sed iis duntaxat indicare volui, illud ipsum in memoratis non tantum locum invenire, sed persæpe etiam opem ferre non contemnendam, præsertim, si cum aliis adpropriatis, ipsi manus porrigentibus auxiliatrices, debite misceatur.

§. XXVII.

Exhibendi forma externa admodum variat: Nunc enim sacharo obducitur, nunc pulveribus additur, nunc rotulas, morsulos et electuaria ingreditur, nunc in infuso aut decocto, quæ pro morbi ac scopi differentia modo cum aqua, aut cerevisia, modo cum lacte aut vino paranda erunt, nunc denique sub tincturæ spirituosæ forma propinatur. Fateri nihilominus cogor, præstantiores vires hoc medicamentum edere, si in substantia exhibetur, aut inter ejusmodi tamen compositiones, in quibus nullius principii jacturam facit, nec naturalis quoque mixtionis destructionem patitur, justæ quantitate, quæ generatim a granis aliquot ad integrum drachmam adscendere potest, recipitur.

T A N T V M.







COROLLARIA.

- I. *Specialissimus partium cerebri usus nondum satis detectus est.*
- II. *Destructa nativa simplicium mixtione, nativæ pariter eorundem vires destruantur.*
- III. *Nulla dantur venena absolute talia.*
- IV. *Transmutatio metallorum dulce alchemicorum somnium est.*
- V. *Circa vermium generationem in intestinis multa adhuc exploranda restant.*
- VI. *Amara non semper ventriculum roborant, sed, biliosa præsentente colluvie, eum magis debilitant.*





Es ist nicht ohngefehr, es ist ein Zug von oben,
 Wenn sich ein edler Geist auf den Catheder dringt.
 Ein jeder der es sieht, kans nicht genugsam loben,
 Wie man vor Deinen Fleiß den Doctor-Hut Dir bringt.
 Das macht, Gott weiß sehr wohl, die Herzen zu regieren,
 Da Deine Lehrer Dir stets musten seyn geneigt,
 Wohin, und wie er Dich nach seinen Rath will führen,
 Es wird zum guten Zweck gedehen wie Ers zeigt.



Dringt ihr Wünsche! dringt ihr Lieder!

Dringt bis zum umstirnten Pohl,

Kommt mit der Erhörung wieder


Lebe lange: Lebe wohl.

Hiermit empfehlet sich dem beständigen Andenken des
 Herrn Doctors

ein aufrichtiger Freund.


Johann George Siegel,

Candidat. S. S. Ministerii,
 Freystadio Silesius.



Mein





Mein Freund! da sich mein Kiel Dir höchst verbunden schäzet.
 So wird zu Deinem Ruhm, auf diesen schlechten Blat,
 Von mir ein kurzer Wunsch anist hieher gesetzt.
 Der wenig von der Kunst geübter Dichter hat.
 Was aber schreib ich doch: Da Dich zu allen Stunden,
 Die edle Medicin, so herrlich angelacht.
 In der Du alles das zu Deinem Trost gefunden,
 Was den geschwächten Leib gesund und stärker macht;
 So wolle Dich die Hand des Höchsten stets ergötzen.
 Und Dich in jene Zahl beglückter Aerzte setzen.

Mit diesen wenigen hat seine Schulbigkeit glückwünschend
 bezeigen wollen

J. D. Cantor,
 Stud. Medicinæ, Ffurtensis.



01 A 6603

ULB Halle


3

003 092 291



1007







B.I.G.

Farbkarte #13

24.

DISSERTATIO CHYMICO-MEDICA
INAVGVRALIS

DE

LIGNO NEPHRITICO, COLV-
BRINO ET SEMINE SAN-
TONICO

QVAM

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE

IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.

FACVLT. MED. H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME IMPETRANDIS

DIE XXXI. IVLII MDCCXLIX.

H. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTET

SALOMON BEER WOLFF,

EVRTHO-NORINBERGENSIS.



FRANCOFVRTI AD VIADRV M,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,
ACADEM. REG. TYPOGR.